

PSALMVS CXXXVI.

1. **S**Vper flumina Babylonis , illic sedimus & fleuimus; cū recordaremur Sion:
2. In salicibus , in medio eius , suspendimus organa nostra.
3. Quia illic interrogauerunt nos , qui captiuos duxerunt nos , verba cantionum:

Et

IN PSALMVM CXXXVI.

PARAPHRASIS.

1. **S**Edimus in ripis flentes ; Babylonis ad amnem,
Dum memores Solyma nos pia cura subit:
2. Hic taciti salicum suspendimus organa ramis,
Exosi mixtis uerba cedere sonis.
3. Carmina suadebat nobis , qua compede uinctos
Nos patrio abduxit de lare sana cohors:

F 2

Flexa-

http://www.lyricsfreak.com/b/boney+m./rivers+of+babylon_20022508.html

LIBER I.

15

I I.

A R G V M E N T V M.

CAINVS, natu maior, fratre per inuidiam obtruncato, parricidium suum parentes aliquamdiu celarat: mox malè conscius, indito sibi exilio profugit. ABELI manes interea matri per insomnia cædem prodidere. Quà liquidò comperta, mater eiulans, cum filio paricida per litteras conqueritur. Eum dein' ad veniæ spem, reditumque hortatur. *Genes. cap. 4.*

EVA, CAINO Filio.

De ABELI cade.

EVASuo mittit, iam plus semel orba, CAINO
 Hæc procul à patrio verba legenda sole.
 Adscriptura locum fuerat; quò currere certo
 Tramite questum littera posset iter.
 Nesciit EVA locum. Veniam dabis: Ipse parenti
 Ignoram voluit filius esse fugam.
 Nunc ubi cunq; lates, ibi te tua Mater auere
 Et iubet, & redeas sospes & inde, & ouet,
 Sed quid ego hoc quondam mihi nomine blandior?
 Huius
 Forte tibi MATRIS iam graue nomen erit.
 Suspicer unde, rogas? Ego suspicer unde, fatebor.
 Tu me, & tinam, falli suspicione sinas.

Fratris

Maciej Kazimierz Sarbiewski

Ode II. 8

Ad Asterium.

At nos inani pascit imagine
Fortuna rerum. Ludimur, Asteri,
Umbris amicorum; et doloso
Verba simul placuere fucō,

Res esse stulti credimus. At simul
Sors infidelem corripuit rotam,
Gaudent recedenti sodales
Non eadem dare verba Divae.

Plerumque falsis nominibus placent
Humana. Rari pollicitis data
Aequamus: et minor loquaci
Relligio solet esse voto.

Ode II. 19

Ex sacro Salomonis epithalamio.

(Similis est dilectus meus capreae, hinnuloque cervorum.)

Vitas sollicitae me similis caprae,
Quam vel nimbisoni sibilus Africi,
Vel motum subitis murmur Etesiiis
Vano corripit impetu.

Nam seu prima metum bruma trementibus
Incussit foliis, sive Diespiter
Elisit resonis tela Cerauniis,
Incerta trepidat fuga.

Atqui non ego te quaerere desinam,
Clamatura retro, 'Christe, revertere': et
Rursus, cum rapido fugeris impetu,
Clamatura, 'Revertere.'

O seu te Libani terga virentia,
Seu formosa rubrae culta Bethuliae,
Seu pinguis Solymae, sive procul cavae
Cingunt rura Capharniae;

Tandem sollicitae pone modum fugae.
Nam non effugies, te mihi sedulis
Aether excubiis prodet, et aureis
 Prodet Cynthia cornibus.

Te neglecta gemunt litora, te procul
Suspirat tacitis aura Favoniis,
Te noctis vigiles, te mihi vividis
 Signant sidera nutibus.

Ode IV. 10

Ad Q. Dellium.

Non tam populari exemplo, quam potius rationis ductu vitam esse instituendam.

Delli, si populo duce
 Vitae degenerem carpimus orbitam,
Erramus; procul arduis
 Virtus se nimium seposuit iugis.
Illuc quo via tritior,
 Hoc est certa minus. Longus inutili
Error nectitur ordine:
 Et mores populum, non ratio trahit.
Casu vivitur, et viam
 Non metam premimus, qua praeceuntium
Per vestigia civium
 Insanae strepitus plebis, et improbae
Voces invidiae vocant.
 Exemplis trahimur et trahimus retro;
Soli nemo sibi est malus,
 Nulli vita sua est: dum vaga postero
Turbam turba premit gradu,
 Sunt primi exitio saepe sequentibus.
Me Parnassus et integer
 Plebeiis Helicon coetibus eripit
Sublimem; unde vagantium
 Errores animorum et male desidis
Vulgi damna patent. Iuvat
 Ex alto intrepidum colle iacentia
Despectare pericula, et
 Cautum non propriis vivere casibus.

John Owen

"Tempora mutantur, nos et mutamur in illis:"
 Quomodo? Fit semper tempore peior homo.